

Q. N. 154, 22.

(X1882559)

II n  
572<sup>a</sup>

C. B. D.

# RES SLAVICAS,

Recensebunt

publice

PRÆSES

M. CONRADUS SAMUEL  
SCHURTZFLEISCH,

ET

JOHANNES GEORGIUS *Liebe!*

Offatiensis Misnicus,

RESPONDENS,

Die XXVII. April. A. M. DC. LXX.

Disputatio XX.

L I P S I Æ, Apud NICOLAUM SCIPIONEM.

M. DC. XCVIII.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

BIBLIOTHEK  
HALLE  
UNIVERSITÄT



S

§ 1.

Cripturus de Slavis, (a) non viri repeto memoriam, sed gentis. Cujus reddere acta, & signare monumenta stylo, ut opportunum, ita utile est visum.

(a) *Ampla Slavorum gens, amplius à gente titulus. Qui res Slavicæ disponunt, recte observant, angustius dici Regem Obodritorum, quam Slavorum. Wilforum, quam Venedorum.*

§. 2. Exola vero huic populo quies, bellorum subinde quaesitæ causæ. (b) Efferatus domi, pugnax foris, ubique Martius, raro dissimilis sui, semper asperi moris tenax. Victus certe aliquando magis, quam domitus fuit. (c)

(b) *Franci, Saxones, Dani, Hunni hoc testantur. Alii complures.*

(c) *Alb. Abb. stad. ad A. C. 810. affirmat, Slavorum gentem Francorum Imperio subjectam. Errat, qui Slavos universos interpretatur. Haud dubie Wilzos intelligit, partem Slavicæ gentis. De quibus paulo ante memoraverat Abbas. Huc confero Annal. Franc. ad A. 789. Cum Wilzis denoto Sorabos, cum Sorabis Obodritos.*

§. 3. Regio, quam coluit, littore finus Codani (d) finiebatur. Hæc Slaviæ nomine insignis, multis floruit modis. Viros educabat domi, ut milites educeret foras. Consilio bono, nec deteriori successu.

(d) *Hunc dictum à Godis, seu Gotthis conjectant quidam. Imo inde colligunt, Slavos ibi non fuisse Aborigines. Conf. Avent. l. 1. A. Boj. Concedo de Slavis, de Vandalis exquisita notione, sumptis nego. Slaviam in publicis Erici, Danie Regis, tabulis lego, Legit ante me Lambecius. Reddunt monumenta Danica, Frothonem quendam Slaviam subegisse. Qua fide, promam alibi. Slavorum titulus quomodo pervenerit ad Danos, prolixè persequitur D. Conring. de finib. Imp. cap. 16. Observo insuper, Slaviam quondam aliam Orientalem, aliam Occidentalem dici solitam. Succurrit hic mihi celebris Orientalium Slavorum Dux Liduit, op. Theg. de gest. Lud. Et notum ex vetustis annalibus est, utramq; Slaviam in ditione Prin-*

Principum Teutonicorum fuisse, alteram in Marchionis Brandenburgici Theodorici, alteram in Ducis Saxonie Bernhardi. Ceterum Slavi oras inter Albim & mare Balticum sitas colebant, eoque à Danis Insulis sejuncti degebant. Quod argumento est, Slavoniam hodiernam multum differre à Slavia nostra. Illa Illyridis, hac Baltici maris limitem spectat. Neque tamen Slaviam solum legas, sed etiam Sclavanam. Quin & Slavoniam. Illam sic nominat aut. Vit. Kar. M. Sclavorum terras innuens. Slaviam Sarmaticam interpretatur Abul Pharajus, ex quo docere promptum est, hac Allaniam, Russiam & Bulgariam comprehendi.

§. 4. De Vetustate gentis non attinet referre. Cujus argumenta reperias neque pauca, si numerum, nec infirma, si pondus spectes. Horum multa Plinius, alia alii habent. Ex his nominandi præter Tacitum Ptolomæus, Jornandes. (e) Neque omittendi Helmoldus Presbyter Bosoviensis, & qui supplendo operam impendit suam Arnoldus Abbas Lubecensis. His addantur Crantzii & Chytræus. Ille tanto magis, quanto plura repetit ex Helmoldo: Helmoldus vero ex Adamo Bremense. Hic quod Crantzii Vandalliam Vandalia (f) augere voluerit.

e) Plinius, Tacitus, Ptolomæus Venedos appellant. Quos hodie Slavos. Helmoldus Winithos, seu Winulos dixit. Admodum hic eos labi oportet, qui Vindilos (alii Vandelos legunt) Plinii pro Venedis habent. Imo & notamus illos, qui sine delectu in Historia Slavica se recipiunt ad Julium Capitolinum, Zosimum, Eutropium, Procopium, Isidorum Hispalensem, Paulum Diaconum, ad Slavos accommodaturi, quæ illi de Vandallis prodiderunt.

f) Ipse hoc fatetur Chytræus, res loquitur, operam laudat Illustrissimus quondam Pomeraniae DUX Philippus II. Magnum sane, à Principe laudari. Notant vero (nec enim id præterierim, ne à meipso dissidere videar) doctiores, Crantzium minus recte permutasse Vocabula Vandallorum & Vinedorum. Idem dictum Chytræo volunt. Neque immerito. Quod Paulo plenius declarabo infra. Ceterum de Crantzio Helmoldum, de Helmoldo Adamum Bremensem sequente monuerunt

*Ubbō Emmius & Merbomius. Ille de illo rer. Fris. ad A. 1147.  
hic de hoc. Not. ad Witich.*

§. 5. Ab antiquissimo inde tempore Reges habuisse, late diffusa fama fuit. De regibus Slavorum, de conditione regum nil definire ausim. Eorum præsertim, qui Caroli M. antecesserunt ævum. (g) Slavis Sorabis, (h) Marahensibus. (i) Duces attribuo: Attribuunt annales. Wagriis, (k) Abodritis (l) & Wiltzis (m) Reges præfuerunt. Unum defuit, regia potestas. Præter nomen forte non multum superfuit. Omitto Slavos Behemos. (n) De quibus in hoc genere dubitandi quidem relicta occasio est. Haud diversum conjicio de aliis Venedicæ gentis populis. (o) Conjiunt docti mecum. Afferro insuper, si ad Carolingorum ire ævum libet.

g) *Innuimus his Saxonis Grammatici in recensendo majorem fiduciam, quam certitudinem. Simul eorum, qui Saxonem sequuntur. Affectu magis, quam adhibito rationum delectu.*

h) *Alio nomine Serbi. Populi Venedicæ, seu Slavicæ originis, orientali Saxoniæ confines. Ab his celebris Sorabici limitis titulus, A. Fr. ad A. 822. 858. Quorum Dux Mili duoch à Carolo juniore interfectus memoratur ad A. 806.*

i) *Qui nobis Marahenses, aliquando Margenses appellantur. V. A. Fr. ad A. 863. Magnam Slavorum Marahensium proterviam ex eo cognosco, quod Duces, etiam invitos sibi constituerent, interitum, nisi assensum præberent, minantes ad A. 871.*

k) *Helmold. Ch. Slav. l. 1. cap. 12.*

l) *Qui nobis Obodriti, aliis jam Abodriti jam Adobodriti scribuntur. Reguli potius, quam reges erant. Nomen certe regum, potestas Ducum erat. Hac vero ex populi magis nutu, quam ex jure pendebat. Documento Slaomir missus in exilium, surrogato ei Ceadrogo, filio Thrasconis. A. F. A. C. 819. Ad A. 844. memoratur Rex eorum Gozzomvil, ab Hludovico interfectus. Causam exponunt A. Fuld. Sig: Gemblacensis, alii.*

m) *Aliis Wilsis, ut Eginhardo cap. 12. Wilzi Alb. Abb. Stad. A. 810. 823. Doctissimus Reineccius legit Wilci, arbitratus, à voce Wilk lupi notionem habente appellatos. Eamque Litthuanis familiarem esse refert. Forte ut indicium proferat, gentem effertissimi ingenii, & non multum abludentis à lupino fuisse. Wiltzorum de regno contentiones legas ap. auct. Vit. Lud. Pii p. 379.*

n) *A. Fr. ad A. 805. Ubi Rex eorum Lecho (aliis Lechus) nominatur. Add. A. 869. Alias Boemani Slavi. Hodie Bohemi. De eorum regibus extat Chronicon Cosmæ Pragensis. De Boh. in capite publici juris vid. D. Conring. cap. 29. de F. I. De Bohem. & Austria conjunctione, sive ut hodie loquimur, pactis successoriis, vid. Autor continuat. Vandalia Crantziana, Chytrao laudatus, edit. Witteberg. A. 1585. Sed hæc atq; talia accuratissime, ut alia solet, persequitur Goldastus in tract. de regn. Boh.*

o) *De Slavis Moravis: Tum & de Slavis Sarmatis, V. Horn. Hist. Imp. in Hist. Slav.*

§. 6. Verum enimvero multis Vandali (p) sunt, qui nobis hætenus Slavi. Horum primus Rex quidam memoratur Vandalus, uno & quadraginta, ut ajunt, annis rerum in Germania potitus. Ea sententia Johannis Aventini est, (q) ut creduli nimis, ita referentis minus certa. Altius rem æstimat doctissimus Civis meus, Henricus Bangertus, (r) industrius, cum viveret, Polyhistor. Qvi Vandalum ut nominis, ita gentis auctorem ducit ab Ascenazo. Ascenazum à Japheto. Ab Ascenazi familia repetit Svevum, Principem quendam eo nomine appellatum. Svevo filium Vandalum, Vandalum avitas inter Travam & Vistulam sedes assignat. De Ascenazo & Japheto sat certitudinis, veritatis abunde est. At de hujusmodi Posteris dubitationis multum, plurimum erroris. Allegantur in hanc rem monumenta. Sed minus proba, eoqve indigna, quibus assentiariis. Parum verò habet laudis, gentium laudes fabulosis originibus celebrare. Sua ætate Vindelos (s) Plinius, Vandalios Tacitus appellavit. Nec tamen habeo, ut ambigam, jam multo ante bella gessisse, adversus Romanos, etiam cum nondum Romanis hoc nomine innotuissent. Cimbris mixtos petiisse Italiam, pugnasse cum Romanis, suspicor. Imò colligo in historia Theutobochi. (t) Sed Gothis (u) dum eo susciperent expeditiones, junctos fuisse, ne dubito quidem. Manifestius multo & distinctius seqviori ævo nosci cœperunt. Præsertim sub id tempus, quo rerum in Oriente Arcadius, in Occidente Honorius \* potiebatur. Adolescebat jam fama gentis, cum fama impetus augebatur. Diu ille latere ignis. Gliscere quandoqve. Sed mox sopiri iterum. Ab Aureliano (x) inde ad

Theodosii M. (*y*) usque tempus in cineribus condi. Tandem erumpere incendium, & corripere Theodosii junioris purpuram. Atque tunc emergere quasi ab inferis æstus, crescere Martius calor cœpit. Auctus in Crofco, (*z*) Godgefillo, (*aa*) Gunderico furor. Hi agere, rapere cuncta assveti, manu, ferro, igni vastant regiones. Galliam, Hispaniam subeunt & populantur. Romam diripit Genserichus. (*bb*) In Roma Romam quæsiuisses, si vidisses ruinam. Iterum Carthago Romæ æmula, mox victrix esse gestit. Gensericho, quasi altero (*cc*) Hannibale amplificandæ dominationi intento. Nempe fundaturo in Africa Imperium nil perinde optandum erat, quam subverti Romam, florere Carthaginem contra. Nondum malorum satis. Unius sævitæ finis alterius initium fuit. Profectus à Rugis Odoacer, (*dd*) cum Roma imperium Romanum in Occidente evertit, (*ee*) prioribus illis longe peior, crudelior certe. Nam quum antea conflictaretur morbis, fœdata ejus facies, vires, robur amissum fuit. Inde ad ruinam via, ad exitium aditus. Jam dissolvitur sacer ille Imperii contextus. Sequitur tandem diuturnos morbos tristis & hæctenus omnibus formidatus interitus. Interitum funus. Funeris demum efferendi instrumentum, Thorcilingi, Sciri, Heruli, barbari omnes, auctor Odoacer, comites lætitia & plausus apud barbaros, dolor, luctus apud Romanos. Sed repeto Vandalorum (*ff*) Venedorumque nomen. Utrumque usurpavit nitida ætas. Ignoravit autem Slavorum. (*gg*) At verò seqvior illa & minus culta mutavit loquendi morem. Tantoque hoc fecit familiarius, quando recentius erat. Usque adeo quidem, ut nec hodie iverit in desuetudinem. Extat verò Slavorum illud non modo apud Jornandem (*hh*) & Helmoldum, sed etiam apud Gregorium Pontif. & Blondum. Reperitur insuper in annalibus Francorum, in opere Thegani de gestis Ludewici, (*ii*) in annalibus aliis multis. Imo in seqvioris ævi scriptoribus omnibus. Nullo, quoad meminerim, excepto. Eorum quidem, qui hujus condiderunt historiam gentis. Sed & frequens Vinulorum, Winithorum, Wendorum vocabulum invenias. Multis Vinidi, plerisque Vinidæ, nonnullis Sclavini dicuntur. Aliis Heneti. (*kk*) Aliis Veneti audiunt. Sunt etiam, qui doceant, Vindilos & Vinulos appellatos. Iidem ex Tabulis Veteribus Vindolos nominant. Verum nolim diffiteri, esse quædam horum, quæ paria non faciant, ut face-

re

re maximè videantur. Nec celaverim, P. Daconi Winilos, Sigeberti insuper Winulos multum distare à Winulis nostris.

- p) Nomen putant à cupidine migrandi profectum. Hinc Vandalos interpretantur die Wandeler vom wandern. Qui Tiotismum colunt, Wandalos scribunt, diversos à Venedis, seu Wendis nostris.
- q) Annal. Boj. l. 1. p. 16. Ed. Basf.
- r) Ad Helmold. l. 1. p. 7. Ubi animadvertendum, Slavorum Originis à Riphatæis, Wandalorum, ut gentis Germanorum, ab Ascaniis (Ascenazi posteris) arcessendas esse.
- s) Perperam legunt, qui Vindelicos legunt Cum Vindelis Winuli non sunt confundendi. Hos, ut putant, Homerus Henetos, Romani Venedos, recentiores Slavos dixerunt. Vindilos ignorat, qui hæc nomine Vindilis tribuit.
- t) Quæ fabulosa de hoc Cimbrorum Rege traduntur, prælibavit Petrus Gassendus in Vit. Peiresk. l. 3. p. 88. & l. 4. p. 156. Ed. Hag.
- u) Plinius nostrarum partium est, qui prodidit antiquitus Vindelorum nomine comprehensos Burgundiones, Varrinos, Carinos & Guttones, H. N. l. IV. cap. 14. Affirmat insuper Procopius, omnes Gotthorum Vandalorumque gentes uno quondam Getarum nomine appellatas. Comprehenso quoque una Sarmatas & Melanclenos. Quod indicio est, nimis generatim vocabulo hoc usum. Cum præter verum sentiat, qui Gothis Vandalisque nostris proprie sumtis Originem Geticam ascribendam putet. Quantum enim Thrax à Celta, tantum à Germano differt Geta.
- \*) Hic Wandalorum ad Honorium asserenda epistola est. Allegat P. Diaconus in supplement. Eutrop. Verborum hæc formula est. Tu cum omnibus pacem habe. Omnium obsides accipe. Nos nobis confligimus. Nobis perimus. Hi exciti antiquis sedibus in Galliam, Hispaniam ac Siciliam profecti, regnum sibi, capta Carthagine, in Africa condiderunt. Quod Justiniani ævo subversum legitimus. In Africa Africanos mores induisse, contra exuisse indolem Germanicam colligo. Vestigia stirpis hodieque in Africa superesse memorant, qui reddunt res gentis Africanae,

- na. Vid. Auct. Vit. Tass. Seculum in primis à C. N. IV. fatale ad hujus gentis impetum fuit.*
- x) *Etiam jamdiu ante Aurelianum hoc nomine claruerunt. Maxime in bello Marcomannico, ubi eorum virtus, facinora eluxerunt. Vidit, sensit M. Antoninus. Annotavit Procopius.*
- y) *Observat Buno Vandalos ut sub Constantino M. pacificos, ita sub Theodosio M. tumultuosos fuisse. Id H. p. 114. Sed felicitate Imperatoris cohibiti, tandem ultro se submiserunt. At non diuturna quies. Ab excessu ejus vix sopita crudelitas recrudescit, suscitante homines istos Stilicone. V. P. Diac.*
- z) *Hoc duce infusi in Galliam, pradas egerunt Vandali. Aliis Crocus, multis Carocus scribitur. Horn. Hist. Imp. 173.*
- aa) *Plerisque Gondigifilus. Is militem in diversas regiones immisit. Galliam, Hispaniam, Lusitaniam armis infestavit. Isid. Chr. Vand. 7. Lat. comp. H. un. p. 125.*
- bb) *Dux & autor Africa in obsequium redacta. Regnum in ea excitavit, capta Carthagine, Ro. Imp. haftenus per 585. annos obnoxia. Causa mali à contentione Ducumbelli. Fons sceleris Bonifacius, nomine, quam affectu melior. Occasio sceleri offensa apud Valentinianum conflata. V. Jornand. de reg. success. Exitus cum ruina Imperii conjunctus fuit. Cape à Bonifacium ali imaginem administri. Qui impius erga Caesarem, iniquus erga Imperium, ingratus erga utrumque & perniciosus sibi fuit. Nam circumspiciorem fuisse oportuit, cum externum militem accitum vellet. Sæpè opprimit iste, qui venit liberatum. Etiam liberandi colorem præferre is potest, qui vult oppressum.*
- cc) *Genferichus noster aliis Genfericus, nonnullis, ut Jornandi, Gizericus dicitur. Consilia & artes dominationis paulum declarat Paulus Diaconus, cum obtentu amicitiae & pacis ab eo occupatam Carthaginem refert.*
- dd) *Jornandi Odovacer. Is genere Rogum (Rugum) memorat. De Rugis tamen ei subjectis nihil meminit, sed solum Thorcingorum, Scirorum, Herulorumque Regem vocat. Herulos Gothicæ genti vindicat Zonaras. Assentior Zonarae. Neque displicet, quod Pb. Cluverius eorum inter Rugios & Gothos sedes*



REBUS SLAVICIS.

sedes commemorat, in Germ. Antiq. Quin existimaverim, eos in partem originis Vandalicæ venire. Nescio verò, an hic quidam recte conjicere ausint, Odoacrum natione Venedum fuisse, ex Slavis Rugianis oriundum. Sane Rugus genere fuit. Rugi autem numerantur in Slavis. Quod si ita esset, documentum foret, Slavicam sevitiã non cessisse Vandalicã. Interim huc conf. Machiav. de migrat. Pop. Sept. diss. quæ extat in ej. H. Fl. Digna Goldasto visa, quam laudaret & infereret suis.

ee) Nempe auctum firmatumq; Romæ Imperium in Augusto, extinctum in Augustulo (Nomylo) fuit. Hic ultimus in Occidente Imperator. Primus ab eo in Italia Rex Odoacer, quanto magis regii tituli sitiens, tanto inimicior Imperatorio. Tegebat callido hoc instituto exquisitum dominationis instrumentum, alibi, cum causas deminuti Imperii Occidentis persequimur, eruendũ.

ff) Destructo Vandalorum sub Gilimere auspicio Justiniani, ductu Belisarii, regno, exolevit quoq; Vandalicæ gentis nomen. Conversio hac in Sec. VI. incidit. Prudentius Poëta Christianus S. IV. ejus meminit ad Symmachum.

- - - - - Dacia, Sarmata, Vandalus, Hunnus.

Gerulus, Garamas, Alemannus, Saxo, Gilaulas.

Conf. Fabr. Sax. un. ad A. 390. Sec. VI. Jornandes, IIX. Paulus Diaconus usurpavit, sed ex memoria rerum à Vandalis Sec. VI. gestarum.

gg) Slavorum Slavinarumq; nomen à VI. S. frequentari cœpit. Sed nondum ita, ut obliteraretur Venedorum, quippe ipsi Jornandi usurpatum. At sequioribus seculis ita invaluit Slavorum illud, ut prioris mentio rara, apud plerosq; nulla, hujus assiduo esset. Summatim Slavorum Slavinarumq; nomen puriori ignotum ævo, sequiori contra, eidemq; minus culto usitatissimũ fuit.

hh) Witichindo nostro in A. Sax. dicitur Jordanus. Qui ut multa hausit ex Probo, Dexippo, ita ex M. A. Cassiodoro excerpta reliquit, homo Ostrogottibus, Episcopus Ravennas. Conf. Voss. de Hist. Lat. l. 2. c. 20. Præter hunc Slavinos habet Procopius Casariensis.

ii) Ex Bibliotheca P. Pitboei, Cl. Jcti, & in re antiqua Versatissimi.

kk) Vulgo Henetos pro Venedis habent. Displicet id Ph. Cluv. in Germ. Antiq. dum probat, Paphlagonicam illam gentem cum Venedicã

B

nostra

nostra nil commune habere, eoque Henetos non fore genitores Venedorum. Hoc iis dictum esto, qui *Ενετων* Vocabulum apud Homerum observant. Inprimis, quibus cura est recte scribendi. Concesso enim hoc, nec Henetos, nec Venetos reddere per Venedos licebit. Haud tamen omiserim, Davidem Chytraum pro certo habere in Vandalia sua p. 3. eosdem esse Venedos, qui Veteribus Heneti fuerunt. Sed vix accesserim Chytrao, qui ut Vandalos vix satis (nisi tamen referre magis quaedam, quam probare voluit) à Venedis, ita nec Henetos accurate distinxit ab iisdem. De Henetis mentionem fecerunt Homerus, inter profanos antiquissimus, Livius sub init. Hist. Addatur Alex. Gvagninus Veronensis descript. Sarmat. Europ. cuius auctoritate quosdam abusos animadverto.

§. 7. Multum adeo hic desideraverim in cura eorum, qui res condere Slavicas sunt aggressi. Nobis Winedi à Wandalis diversi. (ll) Aliis iidem (mm) Allegamus nationem, locum, sortem nascendi, linguam, ingenium, habitum, mores, diversa omnia. Nec tamen audebimus dissimulare, secutam tractu temporis confusionem vestigia reliquisse diversitatis. Quot auctores, tot sententiae. Quot sententiae, tot lites. Haud pauci incuriam exprobrant Helmoldo. Omnibus etiam Helmoldum imitantibus. Sed vellem, parcerent Helmoldo. E diverso notarent Crantzium. Cum Crantzio forte Chytraum. Sunt, qui utrumque in scopulos impegisse, putent, alterum Ducem erroris, alterum Comitem, si tamen comes fuit. Nec probe distinxit Aventinus. Nihilo saepe accuratior P. Cluverius fuit. Omitto novitios plerosque, auctoritate Crantzii deceptos, (nn) Qui adeo non discreverunt has gentes, ut quoque unam utrisque originem, communia certe omnia vendicarent. Atqui vero multo rectius pronunciaturo videntur mihi, quotquot habent pro diversis. Accedo sane his, assentior constanter. Discedere hinc audacis, dissentire imprudentis erit. Itaque tantum distat à Winedo Wandalus, quantum à Sarmata Germanus, à Germano Scythia, ab indigena exterus.

ll) Tacitus de M. G. dubitat, Venedorum nationem Germanis, an Sarmatis adscribat. Ego non amplius dubito adscribere Sarmatis. Cum quidem ab ultima sua origine spectantur. Nec facit ad rem, quod Winedi, procedente tempore, facti Imperii Germanici cives sint. Armis eorredacti, partim vectigal pendebant, partim Impe-

Imperio subdebantur. Illud ex Eginbardo, hoc ex Alb. Abb. Staudense colligo. Jure nationis distinctos à Germanis fuisse, sufficit in presenti. Ne dicam, Venedos, cum in Veterum Vandalorum (Germanorum) locum subirent, juri se non potuisse subducere, quo obligati Vandali fuerant. Sed ita pro certo sumitur, omnes gentes septentr. paruisse Romanis Imp. quondam, quod negamus, aut unam olim omnium Germanorum rempublicam fuisse, quod perinde est negandum. Et certè negabitur infra. Alioqui hic admonent quidam, aliter de Imperio Germanico, (Germano-Romano) aliter de regno Germanico, quatenus Germanico loquendum. Cum illi fasces summisserint etiam non Germani. Recte satis. Concedimus, quod dicitur, modo dicatur convenienter instituto. Modo tempora conversionum civilium accurate distinguantur.

mm) Haud inficias iverim, vocem Vandalorum aliquibus nimis generatim sonare, etiam eos, qui Scythicæ gentis erant. Nisi forte Scythiam Teutonicam velint intellectam. Hunc ad modum in expedito esset, explicare autorem Magni Chronici Belgici, qui Vandalos à Scythis oriundos putat. Cateroquin de Slavis per Sarmatiam dispersis, eorumq; migrationibus vid. Cromerus l. i. Hist. Pol. & ex eo J. Lat. Comp. Hist. ad A. 527.

nn) Diserte D. Conring. cap. 16. de finib. Imp. p. 244. affirmat, Cranzium popularis istius erroris auctorem fuisse.

§. 8. Sequitur, ut de Vandalorum Slavorumq; migratione exponamus. Hic quanto obscurior historia, tanto difficilior historiæ censura est. Judicet, qui velit, statuat, qui potest. Ego censeo, primam omnium gentium profectioem ex Asia (oo) repetendam. Hæc primi hominis sedes, hæc tot gentium nationumq; proma conda fuit. Inde à diluvio alii in Europam, alii in Africam concesserunt. Multi per fretum Anianum transvecti: Americam subierunt (pp). Quibus Europa sive forte, sive alio juris titulo, seu vi etiam obtigit, in diversos migrarunt tractus. Alios Sarmatia (qq) tenuit. Eos certe tenuit, qui ad Tanaim & Borysthenem confederunt. Alios invitavit vastum illud inter Albim & littora maris Baltici spatium. (rr) Vandalos dico, qui has oras primi coluerunt omnium. Vandalis Venedi, (ss) Venedis Sarmatæ, Germanis Scythæ successerunt. Nempe exire domo, transire patriæ fines, petere alias sedes, occupare alienas regiones, de-

stinare transmarina, mittere colonias, summa genti voluptas. Major aviditas, quam prudentia erat. Jam tot consumpti migrationibus cives, tot exhausti bellis milites, attritæ domi, vexatæ foris opes, vacua cultoribus patria, desertus ager prænunciabant tempestatem. Nondum hæc sentiebatur, cum ingrueret, nondum ingruebat, cum decideret in caput, cum opprimeret inopinantes. Invadunt Vandalorum ditiones Venedi. (11) Impetu hi rem agunt. Domi relictos facile exturbant. Profectis domo in alias terras reditum negant. Redituris vim, arma, militem opponunt. Sic vincebantur, qui vicerant hæctenus, expellebantur, qui expulerant alios, ex eo puniendi, quo peccati asperferant labem. Expulsi Vandali solum mutabant, non animum. Adeo similes sui, adeo tenaces veteris moris. Digni his Venedi successores, nihilo meliores, aut certe non mitiores antecessoribus suis.

oo) *Vid. Scalig. Epist. 242. Assyria, inquit, ut omnia prisca monumenta testantur, prima omnium regionum culta fuit, ibi sunt natales primi hominis. Assyria verò Asia regio. Asia ergo prima primarum gentium sedes. Exemplum ab Henetis, quondam Paphlagonia, Asia minoris Provincia incolis sumunt. Quam in rem vid Alex, Gvagninus Veronens. descript. Sarmat. Europ. f. 3. Sed Paphlagonica illa gens audacius hoc allegatur, quam certius. Repugnant doctiores, & ipsa antiquitatis documenta. V. Cluverius supra cit.*

pp) *Hoc est illud fretum Anian, quo Asia ab America disjungitur. Quod qui tranarunt ac pervaserunt, in novum, quem sic dicimus, delati orbem sunt. Unum hic addo observandum civilis prudentiæ cultori. Americani à culta Sinarum gente expoliti, qui cum classe eo profecti, ritus, exempla, vestigia in republica Americana longe plurima reliquerunt.*

qq) *Slavia Sarmatica non anguste capienda est nimis. Quippe quod ea comprehendat non Polonos modo, sed & Lituanos, & vastam illam Russorum seu Moschorum gentem. Illudq; adeo indicio est, Slaviam hanc Sarmaticam in Asiam usq; porrectam esse.*

rr) *Multis etiam trajectus Oceanus, longius profecturis iter. Gothones appello, Gotbie jam olim occupatæ testes. Hi trajecto mari, Insulas, Peninsulas multas impleverunt. Et Codano forte sinui  
origi-*

*originem, nomen, auspiciam dederunt. Profecto Aborigines ibi, non advena fuerunt. Contra Venedi, à quibus Venedicus, hodie Finnicus, Sinus, advena, non Aborigines, extiterunt.*

ff) *Cur Venedos scribamus, non Venetos, jam supra reddita ratio est. De Venetis propriè dictis tanto manifestius constat. His Adriatici maris sinus præbuit sedem. Venedis campi ad Tanaim & Borysthenem conspicui. Sicubi ergo aliter scriptum legas, mendum interpretaberis. Unde ortus error sit, facilis conjectandi ansa est. Prima huic occasio ab Henetorum vocabulo nata. De Venedis addiderim, Sarmatiam ab initio coluisse. Autorem sententiae habeo Ptolomaum l. 3. cap. 5. Atq; verò Sarmatia cum Vandalianil commune habet. Hæc enim Teutonice gentis est, secus atq; illa. Sic Gothos memini quondam ad Vandalos referri solitos, Venedos nunquam.*

tt) *Hanc utriusq; gentis vicissitudinem & successionem mutuam ex monumentis probæ vetustatis asserunt Alhamerus, Rhenanus, Latomus, Vadianus, novissime Grotius & D. Conringius, ex professo hoc argumentum persequuti, ille in Proleg. Hist. Goth. hic in alleg. libr. de finib. Imp. Addantur commentatores in Helmod. Reineccius, & eo recentior Bangertus.*

§. 9. Jam quæ facies regni, quis cultus, quodve ingenium Slaviæ Regum fuerit, expediam. Sed difficile est, expedire. Difficilius definire. Reges habuerint regia potestate præditos, an regulos, nil nisi placito populi acturos, reperire, ambiguum multis, scire, supervacuum plerisque. Vetera, fateor, hæc sunt atque obsoleta. Aliis fortasse odio. Aliis fastidio. Nos sequemur eos, qui ut præsentia non oderunt, ita jucundum ducunt, repetere antiqua, ponderare antiquorum rationes. Ante omnia habemus pro certo, formas imperiorum, quas Schola Prudentium appellat, cum temporibus posse mutari. Testatur id tempus ipsum, testantur acta temporis, testantur regnorum vices. (uu) Tum nolim dubitare, Winedos ut patria & gente, ita republica à Wandalis disjunctos fuisse. Diversæ hæc gentes. Gentium adeo societatem conflaturæ, non civitatem. Quin Winedos ipsos ut sedibus, ita civitatis jure discretos fuisse, colligo. Colligo de Wandalis simul. Faciam, ne ratio desit asserto, ne vires rationi. Ferox gentis ingenium, effrænati mores, diversa studia in

diversas partes scindebant gentem. Inde diversæ civitates, diversa civitatum orta sunt jura. Commune id cum Germanis habuerunt. Quos qui in unam coaluisse rempublicam dicet, aliquid monstrari alet. (ww) De antiquissimis illis loquor. Hodie alius rerum status, alia Imperii Germanici facies indolesque est. Sed revertar ad mores, placita, instituta diversa. Certe alii Winedorum magis, alii minus barbari. Quidam literis exculsi Runicis, quidam profus impoliti erant. De illis passim legas licet. Cum primis in Historia Bremensi. (xx) Quæ Runos memorat fortissimam Slavorum gentem. Eo refero Diminem, urbem frequentia Runorum celebrem. Hic scholam, hic domicilium sapientiæ pro captu condiderant suo. Sed mitto Runos. (zz) Mitto Runorum Scholas. Satis habeo, Runos Slavicæ gentis fuisse. Rursus morum exaggeranda diversitas est. Hanc diversi corporum habitus, dissimiles vitæ animorumq; cultus testantur. Cæteris constantiores Abodriti. (aaa) Sed & supersticiosiores iidem. (bbb) Si Wagrios & paucos excipias. Alii proniores in tumultus. Alii tenaciores libertatis. Omnes in eo pares, quod sacra, ritus, ceremonias Christianorum averfarentur. Tantum aberat, ut ultro his darent nomen.

uu) *Venedi ante Carolingorum Imperium liberiores. Hinc restrictius Imperium subeunt. Sub Ludovico Germanico respirare iterum, & non multo post ad veteres redire mores incipiunt. Ab excessu Carolingorum eos domuit omnium maxime Henricus Auceps. Ne taceam Ottones. Sub Henrico IV. mordere frenum, excutere jugum conati, se reddunt libertati. Rerum potiente Henrico V. in Saxonibus Slavia quodammodo injus atq; ditionem Imperii reversa est, dicente sacramentum Henrico Slavorum regulo. Essent hic, quæ de Kanuto Dano, & Henrico Leone Saxone afferrem, sed brevitatis me impedit. Brevitatem supplebit Helmodus. Unum addo, Venedorum sedem primo vastissimam Sarmatiæ oram: Inde amplissimum inter Albim & mare Balticum ad Vistulam usq; & adeo ipsas Polonorum terras protensum tractum fuisse.*

ww) *Vid. Conring. de Urbib. Germa. pos. 42. Nempe unius Originis atq; nationis populo respublica minime una, moribus in diversum abeuntibus.*

xx) *Te-*

xx) Testatur Bremensis habitasse in ostio Panis (alii Peanis) Hinc Slavi dividuntur in eos, qui cis & trans Panim coluerunt. Celebris ad flumen Panis Civitas Dimine, a qua Slavi Diminenses, Pomeraniae cives. Caterum Runos, Rugos interpretor.

zz) De literis Runicis Vid. Olaus Wormius, Medicus Hafniensis, vir in isto antiquitatis genere exercitatissimus.

aaa) Constat ex historia Caroli M. hos in retinenda fide, servando foedere ceteris constantiores fuisse. Nisi tamen metu id fecerunt magis, quam amore recti, aut studio erga Carolum, ut ego quidem non plane nullas habeo causas suspicandi. Hæsit tamen ipsis mos Slaviscus; quem auctor annalium à Pitboeco editorum recitat, quo nulla fidei, nulla pactorum ratio habebatur, ad A. 871. Talis quoque jam olim Vandatica fides proverbio locum fecit. Cujus specimen dederunt Genferichus & Stilico Vandali, de quibus Paul. Diac.

bbb) Obotritis Radegast, Polabis Siwa, Wagrii Prove in loco numinis erat. Præter Obotritos Wagrii usque adeo tenaces superstitionis erant, ut quoque bujus reliquias proderent, cum lumine diviniore collustrarentur. Et seculo quidem IIX. Idolorum addictos vanitati Venedos omnes licet existimare. Sec. IX. auspicio Caroli M. illucescere purioris doctrinae jubar cepit. Necdum tamen omnis discussa caligo. Cui testanda faciet S. XII. De Slavis Conradi III. evo eadem caligine fascinati vid. Ulbo Emm. ad A. 1147. & Helmold. illorum temporum fere æqualis. Vandalis eo feliciores Slavi, quod illi tenebris evoluti Arianismo inquinarentur auspicio Valentis, hi non. Cateroquin inter Slavos omnium primi Christianorum sacra receperunt Bulgari, à Bulgaris deinde Sorabi, Bulgari à Grecis. vid. Chytraeus in Sax. p. 35. de Slav. Gent.

§. 10. Juvat, quod cœpimus, pertendere argumentum. Spectabit is eo labor, ut Principum Slaviae jus paulo evidentius innotescat. Reperiuntur, qui putent, Reges hos conditionis non multo melioris fuisse, quam illos Laconum, quorum regnum nil aliud, nisi prætura belli fuit. (ccc) Amplius id declaro ab ingenio Slavicae gentis, quod raro moderatum, semper turbidum. (ddd) Inquietum insuper & pronum in bella, & absolutiori adeo imperio non assuetum. Ritus, habitus, vires, robur gentis hanc augere persuasionem possunt. No-

vum

vum id liberi populi argumentum. Cui hoc cum antiquissimis Teutonibus commune, odisse servitutem, amplecti libertatem. Nempe adeo impatiens jugi erat, ut nollet teneri jugo. Vellet autem mulceri, & Principe aut moderato uti, aut nullo. Hoc tabulæ Veteres, exempla, res gestæ confirmant. De Rugiis obsequium memorat Tacitus. At salva gentis libertate interpretandum. Eoq; non tam à vi, aut libero regnandi jure, quam à voluntaria quadam veneratione derivandum. Unum desidero absoluti imperii argumentum. Quæro identidem. (eee) Vestigo, excutio omnia. Nullum reperio, unde conficiam, reges nullis exceptionibus, solo absoluto jure regnasse. Stabit adeo cum obsequio illo libertas, cum libertate obsequium. Vetustissimos illos signo. Seqviori tempore alius rerum successit status, alii subierunt mores.


ccc) Eryc. Putean. Polit. Arist. p. 240. Est aliquis nobilitas, qbi refert, Rugiorum Reges parum abfuisse à sorte hominum privatorum, qvobd durius dictum interpretor. Desidero certe hujus opinionis auctorem. Tacitus obsequium diserte tradit.

ddd) Adversus eos limitaneæ Provincia constituta. In primis Marchia Brandenburg. vid. Cranz. in Vand. Turbis frequenter jactati hi VVilzi & Abodriti; Vetustas utrorumq; inimicitias commemorat auctor vita Kar. M. Haud dubie & concordiam & conjunctionem civilem impedituras. Tum indicio futuras, Genti nil tam invisum fuisse, qvam servitutem, & unius in aliam imperium. Et jam supra recitabimus, qvbid in reverentia & cultu Genti erga Reges suos desideremus. Huc spectant Rumorum cum VVilzibus dissidia.

eee) Solos excipimus Sbionas, quibus diversum à Germanis, Vandalis, Slavis demum fuisse ingenium Tacitus memorat, si tamen memorat ex fide. Quam longe aliud de iis referat Adamus Bremensis, & refragetur ipsa insuper indoles Genti. Sed id earum, cum persequar singulare de Sbeonibus argumentum. Nil addo ultra. Habere alioquin multa, qvæ adderem de Slavis Daleminciis, a culta Veteris Misnia parte notissimis, de Serbis item, Uchris, Polabis, & reliquis omnibus, quibus sua à stirpe Slavica propago. Saltem ingemisco sorti gentis. Cujus majores ut fidei, ita existimationis magnam fecerunt jacturam. Macula etiam posteris hæsit. Tanta quidem, ut in Collegia Opificum Germanorum non admittantur, errore admissi excludantur quoque. Quem morem iniquitatis postulat Leonhardus Schrittmeyerus in specul. Polit. qvæst. 39. usu, exemplo, utilitate diversum etiam probant Belgæ, ut nothis, ita Venedis quoque recipiendis perfaciles juxta & liberales. Verum in sum de lingua Slavica alii agant. Mihi meminisse sufficiat, tantam ejus discende quondam necessitatem fuisse, ut sanciretur publica imperii lege. Nec lineam amplius ducimus. Ducat, qbi volet ex augusta imperii sanctione. A. B. tit. ult.

VONA





**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

**ERTATIO**

§ 1.

non viri repeto memoriam, sed gen-  
, & signare monumenta stylo, ut op-  
visum.

plus à gente titulus. *Qui res Sla-*  
*observant, angustius dici Regem Obo-*  
*rum. Wilforum, quam Venedorum.*  
opulo quies, bellorum subinde quæ-  
pugnax foris, ubique Martius, raro  
oris tenax. Victus certe aliquando

unni hoc testantur. *Alii complures.*  
*affirmat, Slavorum gentem Franco-*  
*m. Errat, qui Slavos universos in-*  
*tubie Wilzos intelligit, partem Sla-*  
*us paulo ante memoraverat Abbas.*  
*anc. ad A. 789. Cum Wilzis denoto*  
*Obodritos.*

hitore finis Codani (d) finiebatur,  
altis floruit modis. Viros educabat  
as. Consilio bono, nec deteriori

Gotthis conjectant quidam. Imo  
i non fuisse Aborigines. Conf. Avent.  
lavis, de Vandalis exquisita notione,  
in publicis Erici, Danie Regis, ta-  
ne Lambecius. Reddunt monumenta  
ndam Slaviam subegisse. Qua fide,  
rum titulus quomodo pervenerit ad  
tur D. Conring. de finib. Imp. cap. 16.  
n quondam aliam Orientalem, aliam  
m. Succurrit hic mihi celebris Ori-  
Liduit, op. Theg. de gest. Lud. Et  
libus est, utramq; Slaviam in ditione  
Prin-

